



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Decretum de translatione Concilij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

SESSIO OCTAVA,
CELEBRATA DIE XI. MENSIS
MARTII, M. D. XLVII.

Decretum de translatione Concilij.

PLACETNE vobis decernere & declarare, de huiusmodi morbo ex præmissis & aliis allegatis ita manifestè & notoriè constare, ut Prælati in hac ciuitate sine vitæ discrimine commorati, & in ea idcirco inuiti minimè retineri possint & debèant? itemque attentò recessu multorum Prælatorum post proximè præteritam Sessionem, & attentis protestationibus aliorum complurium Prælatorum, in Congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui iustè detineri non possunt, & ex quorum discessu Concilium vel dissolueretur, vel ex paucitate Prælatorum bonus eius progressus impediretur; & attentò etiam imminente periculo vitæ, & aliis causis per aliquos ex Patribus in ipsis Congregationibus allegatis, utpote notoriè veris & legitimis. Placètne vobis similiter decernere & declarare, pro conseruatione, & prosecutione ipsius Concilij, securitate vitæ ipsorum Prælatorum, Concilium ipsum ad ciuitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, salubrem & idoneum, pro tempore transferendum esse, & ex nunc transferri, & ibidem Sessionem iam indictam, statuta die vigesima prima Aprilis celebrandam esse, & celebrari; & successiuè ad vltiora procedendum, donec Sanctissimo Domino nostro, & sacro Concilio expedire videbitur, ut Inuictissimo Cæsare, Christianissimo Rege, & aliis Regibus ac Principibus Christianis, ipsum Concilium reduci possit & debeat?

Responderunt, PLACET.

SESSIO